



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

XXXI. Der Papst Clemens III. bestätigt dem Bisthume Brandenburg seine Besitzungen und Gerechtsame, am 29. Mai 1188.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

quiete, nullus ipsius ecclesie jura temeritate qualibet audeat perturbare, denique ne plebani vestre diocesis contra consuetudinem ceterarum cathedralium sedum Saxonie atque vestrum in electionibus pontificum faciendis ingerere se presumant, auctoritate apostolica inhibemus. Sane agrorum vestrorum, quos propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e seculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere et eos sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ne ulli fratrum vestrorum post factam in loco vestro professionem fas sit absque prepositi sui licentia de ipso discedere, discedentem vero sine communium litterarum cautione nullus audeat retinere. In causis autem propriis, sive civilem sive criminalem contineant questionem, liceat vobis fratres vestros idoneos ad testificandum adducere atque ipsorum testimonio, sicut rectum fuerit, et propulsare violentiam et justitiam vendicare. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura salva sedis apostolice auctoritate et diocesani episcopi canonica justitia. Si que igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove communita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subjaceat; cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax domini nostri Jhesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen.

Ego Clemens, catholice ecclesie episcopus.

(Es folgen die Unterschriften von 11 Cardinälen.)

Datum Laterani per manum Moyfi sancte Romane ecclesie subdiaconi, vicem agentis cancellarii. III Kal. Junii, indictione sexta, incarnationis dominice anno M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. LXXXVIII<sup>o</sup>. pontificatus vero domini Clementis pape III. anno primo.

Nach dem Originale.

### XXXI. Der Papst Clemens III. bestätigt dem Bisthume Brandenburg seine Besitzungen und Gerechtsame, am 29. Mai 1188.

Clemens episcopus, servus servorum dei, venerabili fratri Baldoramo, Brandenburgensi episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. In eminenti sedis apostolice specula, disponente domino, constituti fratres et coepiscopos nostros tam prope positos quam remotos fraternam debemus caritate diligere et ecclesiis sibi a deo commissis paterna sollicitudine providere. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis postulationibus clementer anuimus et prefatam Brandenburgensem ecclesiam, cui deo auctore preesse dignosceris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascunque possessiones, quocunque bona eadem Brandenburgensis ecclesia in presentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis mo-

dis prestante domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: Medietatem Brandenburgensis civitatis aquilonarem, dimidiam partem totius infule septentrionalem, in qua civitas eadem habetur constructa dimidiamque partem omnium villarum illuc pertinentium; duas insuper civitates integre cum omnibus pertinentiis suis Pritzerwe et Etzeri nominatas, provincias Moraciani, Zierwisti, Ploni, Zpriavani, Heveldun, Vuueri, Riacciani, Zamcici, Daffia, Lufici, ecclesie tue ab illustri memorie imperatoribus Othone et Henrico concessas; omnem etiam decimationem totius Brandenburgensis parrochie, exceptis decimis possessionum Magdeburgensis ecclesie, quas eadem Magdeburgensis ecclesia studio bone memorie Conradi Magdeburgensis archiepiscopi et Wigeri Brandenburgensis episcopi tempore felicitis recordationis Innocentii pape predecessoris nostri et Conradi regis per concambium obtinuit. Preterea mercatum, monetam, thelonium, districtum ceteraque omnia, ad hec iuste legaliterque pertinentia, in loco Urslebe et in pago Northuringa et in comitatu Liuttere comitis sita, terminos etiam Brandenburgensis episcopatus constitutos, videlicet orientem versus ad flumen Oderam et occidentem ac austrum versus ad Albiam flumen, ad aquilorum vero usque ad fines provinciarum supranominatarum Vuueri, Riacciani, Daffia auctoritate apostolica confirmamus. Preterea antiquas et rationabiles consuetudines et hactenus observatas nec non immunitates et libertates tam super eligendis advocatis in toto Brandenburgensi episcopatu quam super aliis episcopis Brandenburgensibus concessas, que hucusque Brandenburgenses episcopi habuerunt, tibi nichilominus tuis successoribus presentis scripti munimine roboramus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura salva sedis apostolice auctoritate et Magdeburgensis archiepiscopi debita reverentia. Si que igitur in futurum ecclesiastica secularive persona hanc nostre confirmationis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine dei et domini redemptoris nostri Ihesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem ecclesie sua jura servantibus sit pax domini nostri Ihesu Christi, quatinus et hic fructum bone actiones percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen.

(L. S.) Ego Clemens, catholice ecclesie episcopus.

(Es folgen die Unterschriften von 13 Cardinälen.)

Datum Laterani per manum fratris Moyfi, sancte Romane ecclesie subdiaconi, vicem agentis cancellarii, III Kal. Junii indictione sexta, incarnationis dominice anno M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. LXXX<sup>o</sup>. VIII<sup>o</sup>. pontificatus vero domini Clementis pape III. anno primo.

Nach dem Originale. — Der Anfang und Schluß dieser Urkunde ist in Gercken's Stifftsh. S. 385 mitgetheilt.